2

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA
DE

EMOLUMENTIS IN GENUS HUMANUM EX VARIOLARUM INSITIONE FLUENTIBUS

QUAM
CONSENTIENTE
GRATIOSA FACULTATE MEDICA
ARGENTORATENSI

PRO LICENTIA
GRADUM DOCTORIS
RITE OBTINENDI
SOLEMNITER ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
DIE VI. AUGUSTI A. R. S. MDCCLXVIII.

FRANCISCUS ANTONIUS HERTZOG
BARTENHEMIENSIS-ALSATA.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI, Imprimebatur In Officina Kürsneriana.

SERENISSIMO

AC

REVERENDISSIMO

LUDOVICO RENATO EDUARDO PRINCIPI DE ROHAN

EPISCOPO CANOPENSI

EMINENTISSIMI


CARDINALIS CONSTANTINI

PRINCIPIS

DE ROHAN

EPISCOPI ARGENTINENSIS
COADJUTORI
PATRIÆ ET ECCLESIÆ
DELICIIS
AC
ORNAMENTO
SUMMO ARTIUM NUTRITORI
PRIMOS STUDIORUM SUORUM CONATUS
IN PATRONUM
OPTIMUM CLEMENTISSIMUM
GRATÆ ET DEVOTÆ MENTIS
PIGNUS

Humillime offert
FRANCISCUS ANTONIUS
HERTZOG.



I.



Nceps perdiu hærebam, quodnam pro debitis ſolvendis theſeos ſubjectum ſeligerem & Varia mihi pervolventi nullum videbatur meis concivibus utilius, quam variolarum inſitio. Sed denſa ſcriptorum nubes & pro, & contra proſtat; nec ſane junioris medici eſt, tantas componere lites. Cum verò quidquid in me virium eſt in concivium meorum ſalutem conſecrare decreverim, nihil antiquius duxi, quam ſtatim in primo praxeos limine illud rimari inventum, quod ab aliis generi humano perniciosiſſimum, utiliſſimum ab aliis declaratur.

§. II.

Inſitionis ergo ſecutus hiſtoriam vidi, quod nulla ſit mundi pars, ubi ſuam non fixerit ſedem; quod nulli hucusque terræ fuerit commiſſa, quin ſuos ibi ſalubritatis fructus abundè produxerit. A rudiori hominum fæce inventa, ſine ulla ferè arte prius culta, ſaniorum tandem in ſe oculos traxit; & nulla hoſtium innumerorum habita ratione firmo ubique ſtetit talo; lente quidem, continuo tamen ſeſe propagavit. Communem optimis, quæ in homi-

 num

num salutem possidemus, armis experta est sortem; quo magis ab aliis fuit laudata, eo audaciores in illam insurrexerunt antagonistæ. Quam volupe hic foret, ejus vobis per innumeras successive regiones exhibere & bella, & triumphos! quia vero celeberrimus de la CONDAMINE (a) nihil fere circa ejus historiam desiderandum reliquit: solam velim consideretis angliam; quid sagax illa & bellicosa gens contra eam intentatum reliquit? quo magis autem in eam invexerunt; eo nobiliores inter illos reportavit victorias. Ex eadem cathedra, qua prius diabolicum inventum fuit declarata, aliquot post annis ejus cecinere triumphos, (b) de die in diem crevit inoculationis fama, ita ut nullus hodie anglus, nisi celato vultu, ejus se hostem dicere audeat. Nondum eo processit in gallia & germania; maximæ auctoritatis viri eam penitus vellent extirpatam; frustra suis adversariis clamant variolarum insitores, inoculationis commoda vix satis laudare possumus, venite, videte; testes rejiciunt, videre recusant. Qui parisiis in eam insurgunt, quærunt sua arma apud germanos; austriæ viennenses apud gallos; nulli in sua urbe, nulli per suam experientiam: & quod risum magis movet, egregios hos viros si audias, nihil hoc invento perniciosius & byzantinis, & anglis &c. contingere potuerit; cum tamen omnis byzantina urbs, omnes uno ore angli in ejus erumpant laudes, & hi quasi nati gallorum hostes, de eorum cæcitate sibi gratulabundi, sequens Virgilii dictum aperte protulere... Dii meliora piis, erroremque hostibus illum. (c) Verbo laudatur variolarum insitio ubi est, vituperatur ubi non est. Sepositis ergo præjudiciis, neglecto verborum & nominum sonitu, rem ipsam perpendamus.

Inqui-

(a) Vid. *Mémoires de la Condamine lus à l'assemblée publique l'un le* 24. *Avril* 1754. *l'autre le* 15. *Novembre* 1758.

(b) Vid. *Mémoires de la Condamine;* Vid. *Recueil des pieces concernant l'inoculation.*

(c) Vid. *Mémoires de Mr. de la Condamine.*

Inquiramus in variolarum lethalium fontes; videamus num eos rite avertat prudenter inſtituta variolarum inſitio. Præcipuas poſtea, quæ contra eam fiunt, objectiones rimemur: patebit exinde, quam male apud nos fuerit hucusque neglecta.

§. III.

Crudeli profecto rabie in genus humanum furit variolarum virus, ipſa quodammodo peſte pernicioſius; peſtis enim ſuum furorem in certas ſolummodo gentes exerere ſolet, ſi in aliis hinc inde regionibus ſævit, id non niſi longo annorum intervallo contingit; virus vero varioloſum per totam orbis ſuperficiem ſeſe diffundens, ſæpius recurrens, quartam hominum partem deſtruit, mutilat, aut defigurat. Non ubique tamen, non ſemper, nec apud ſingulum, æqualem exercet furorem. Unde ergo ejus malignitatis (d) varietas? A vario forte virus; a varia corporis conditione; à varia aëris conſtitutione; à permultis, quæ corpori, ſuſcepto jam contagio, morbo vero nondum præſente, contingunt. Singula hæc ordine rimabor, & quomodo ipſis obviam eat variolarum inſitio prudenter inſtituta, docebo.

§. IV.

Pauciſſimis (ſi quosdam reperire eſt) exceptis, omnes naciſmur ad virus varioloſum diſpoſiti; quid vero ſit illud virus, quænam ejus natura, quid hæc in nobis diſpoſitio, in ſolidisne an in fluidis conſiſtat; quomodo hujusce veneni guttula ſeſe in corpore tam mire multiplicet; hæcce omnia me ignorare, libenter fateor. MORTONIUM (e) ſi audio, prout venenum illud magis vel minus

(d) Nolo hunc terminum ſenſu in medicina aſſumpto intelligi, per malignum idem intelligo ac peſſimum, & lethale.

(e) Tractatus de variolis.

deleterium est, eo magis vel minus pessumdat, aut lacessit, aut interturbat; MEADIO (f) vero id virus ad varium morbi genus producendum haud magnum videtur habere momentum: sæpissime enim, inquit, in eadem familia, ubi tetra hac lue sæviente, alii ab aliis vi contagionis corripiuntur, his bene, illis male rem cedere, percipimus. Utut autem se res habeat; hoc evidens est, quod virus a subjecto discretis, benignis variolis decumbente, nulloque alio morbo laborante, desumptum, non possit non esse (si ita loqui fas est) benignum; ergo primum malignitatis fontem avertit prudens variolarum insertor.

§. V.

Nullum novimus morbum, qui adeo pro varia fluidorum ac solidorum corporis nostri conditione variet, quam morbus variolosus: solam velim consulatis experientiam, optimam rerum magistram. Dum corpus subiit variolosum virus, nisi peculiaris obstet diathesis, cor & vasa stimulando, humores modo nobis incognito cogit, unde horror, rigor, calor, febris, & cætera oriuntur symptomata, quæ morbum inflammatorium denotant; unde BOERHAAVIUS, (g) morbus ille affinis omni morbo acuto inflammatorio; difficulter in hoc statu (de statu contagii loquitur) ab eo distinguitur. SYDENHAM, h) est inflammatio tum sanguinis, tum reliquorum humorum, sed inflammatio sui generis. Iterum BOERHAAVIUS, (i) secundo, tertio, vel quarto die emissus sanguis instar pleuritici & inflammati cernitur, eo plus, quo plus durat, & vehementius furit malum. Hinc patent in fortiori morbo dolores nephritici, rheumatici, colici, pleuritici, ortopnoia, coma, phrenitis &c.

Virus

(f) De natura & generibus variolarum.
(g) Aphorismo 1387.
(h) De variolis regularibus.
(i) Aphorismo 1384.

Virus ergo variolofum morbum inflammatorium producit, hinc enormes illæ turbæ in plethoricis, colericis, in illis omnibus, quorum fanguis liquoribus ardentibus, ingeftis aromatibus, animi pathematibus, &c. ad orgafmum difpofitus eft; his, nifi in primo jam morbi ftadio fuccumbant, quod adolefcentibus & ætatis flore vigentibus quandoque accidit, (k) his inquam, non unam aut alteram hinc inde puftulam erumpere vides; fed pro inflammationis intenfitate denfior erit puftularum numerus, tota facies tumore quodam eryfipelatofo, nullo fere vifibili puftularum difcrimine contegitur; inde nimium irritata cutis conftringitur; fupprimitur tranfpiratio; maxima ponitur circulanti fanguini refiftentia; quanta anxietas! Quantum apoplexiæ periculum! Circulat cum maffa humorum tum id, quod præ nimia abundantia ad peripheriam ferri non potuit virus, tum non parum ex illo, quod fub cute hærens iterum abforbetur; unde febris continuat, intenditur, vifcera inflammantur, refolvuntur humores, corrumpuntur & qua data porta erumpunt. Hinc peffimas videre eft dyfenterias, hinc mictus ille cruentus, illa hæmoptoes, quibus SYDENHAMUS nullam invenire potuit medelam. Sed efto, omni fua arte adhibita fanguinis diffolutionem cohibeat medicus, ad undecimum ufque diem ægrotum perducat; quam horrendum & fibi, fi vifus non denegatus, & circumftantibus fpectaculum offert ægrotus! denfa puftularum congerie totus contegitur vultus; aëri per nares occluditur via; aperto & ftertente ore vix fpiritum trahit; collabitur nigræ faciei tumor; fpiffioris factæ falivæ fupprimitur fluxus; intus & extus uritur æger, ingenti fiti in potulenta fertur, quæ vix ore affumpta præ dolore, præ fuffocationis periculo rejicit; voce rauca crudele tormentum exprimeret, nifi vox faucibus hæreret; fomnolentia, ftupore correptus, vi morbi undique oppreffus, in hujusmodi agone ad plures ut plurimum migrat.

 Videas

(k) SYDENHAM de variolis regularibus.

Videas hunc puerum, quem tenera adhuc ætas, animus ab omni discrimine remotus, totusque corporis habitus ad variolas perferendas declarant aptissimum: verbo, nihil in illo peccet, si sordes in primis viis excipias; febris ardore hæ sordes corrumpuntur: hinc nisi salutaris succedat diarrhœa, non miraberis varias & in primis viis & in encephalo oriri turbas; non miraberis, si quæ alias valde benignæ fuissent variolæ, imo quæ per aliquot jam tempus benignam præ se faciem ferebant, orco breviter tradunt delirum, orthopnoicum, tympaniticum, cum fœtida diarrhœa, pulsu abnormi, integra virium prostratione.

Quam pessime a variolis tractantur, qui prægresso gravi morbo, nimia quadam evacuatione exhausti sunt, quorum vires tristis prosternit idea! quod debili vi ad peripheriam propelli potuit virus, crudum quasi & incoctum sub cute per aliquod tempus hæret, iterumque resorbtum, junctis cum restitante in visceribus veneno viribus, languentis vitæ filum abrumpit.

Hæc gravida variolis afficitur, crescunt pustulæ, maturescunt, maxima reconvalescentiæ spes affulget; oritur febris suppuratoria, abortum patitur mulier. corruunt illico vires, exanthemata subsidunt, fatis cum suo fructu cedit.

Pulcherrimam puellam jamjam nuptiarum solemnia celebraturam corripiunt variolæ, prospere procedunt omnia, cum proh dolor! subito copiosi nimis erumpunt menses, vires prosternuntur, pus ad interiora vergit, & quæ adeo metuebat, ne tristi quadam deturbaretur cicatrice, nunc pallida, nigra morte defigurata jacet.

Quam periculosæ plena res aleæ est, si virus variolosum sanguinem acrimonia scorbutica, venerea &c. infectum subit, sed ne his longius immorer; novimus omnes, quod crescentibos annis

crescat

crescat a variolis periculum : in ætate maxime florida nos invitos tumultuosa exagitant animi pathemata, & eo plura morborum seminia colligimus, quo minus nobis pereundum esse credimus; præterea nobis a variolarum veneno eo magis est timendum, quo sanguis exæstuans stimulo ferendo magis impar.

Adultus ob rigidiorem fibrarum texturam, globulum sanguinis spissiorem, quid habet, quod a variolis non metuat? frequens, durus, plenus, qui inde exoritur pulsus, cita, ardens, laboriosa respiratio, calor maxime intensus, flammea urina, sitis inextinguibilis, capitis, dorsi, renum & lumborum dolor valde acutus satis superque inflammationis intensitatem declarant; hinc juxta celeberrimum de HÆNIUM & plures & pejores oriuntur variolæ; præsertim (ipsa ejus verba sunt) cum motus violentior excitatus pluribus pejoribusque variolis producendis aptus est. (1)

Tremulus debilitate senex, qui omnia rigidiora habet, cujus in cute pori vix non omnes sunt deleti, qui sanguine valde impuro laborat; nonne eo certius variolis perit, quo diutius ab illis vixit immunis?

Variolis è contra afficiatur corpus quoddam puerile, quod dentibus jam eruptis, genere nervoso magis firmato gaudet, cujus primæ viæ nullis sordibus inquinatæ, humores blandi sunt, iique non turgent, in quo nulla stabulat hæreditaria labes; quid tum? post aliquas agritudines, horrorem, calorem, febrem, capitis & dorsi dolorem & alia forte haud magni momenti symptomata, erumpunt pustulæ phlegmonosæ, parvæ, distinctæ, in facie prius, dein in reliquo corpore: quo facto, dicta symptomata cadunt; interim sine tumultu adolescunt pustulæ, maturescunt, exsiccantur, decidunt: & quicunque ad talem ægrotum advocatur prudens medicus, eo melius cum illo agi, quo minus agatus, statuet

§. VI.

(1) de Hænii methodus medendi. de variolis.

§. VI.

Nonne ex dictis evidenter elucescit, quod ad varium variolarum genus producendum, quamplurimum faciat corporis conditio? Quod ratio docet, quod auctorum fide dignorum observatione compertum est, id non negant infensissimi inoculationis hostes. (m)

§. VII.

Quæritur ergo utrum variolarum insertor eas possit evitare Circumstantias, eas semovere corporis conditiones, unde variolarum fluit lethalitas; hoc magni sane momenti problema invitus fere sol-

---

(m) Vid. *Mr. Cantwell tableau de la petite verole p.* 49. *Ceux, qui sont beaucoup phlegmatiques, qui ont les fibres molles, laches ou foibles, les enfans ou les femmes hors de l'état de grossesse risquent moins, que ceux, qui ont les fibres serrées, fortes & elastiques, que les vieillards, les hommes faits, la jeunesse bouillante, ceux, qui mangent beaucoup de ragoûts, d'épicerie, & qui font un grand usage du Caffé, que ceux enfin, qui fatiguent beaucoup, & qui travaillent journellement, ou qui prennent de violens exercices: & ibidem p.* 15 *elle est generalement plus benigne dans les campagnes, que dans les villes; chez les pauvres, que chez les riches; dans la premiere jeunesse, que dans les adultes; & ceux, qui sont avancés en âge; chez ceux, qui vivent frugalement, que chez les personnes, qui se nourrissent le plus delicatement, ou font toujours bonne chere. Elle est plus meurtriere lorsqu'elle se trouve compliquée avec quelqu'autre maladie epidemique comme fievre maligne, putride, catarrhale, vermineuse, ou pourprée, fluxion de poitrine, pleuresie, peripneumonie, ou angine, que quand elle est seule. Elle fait beaucoup de ravages chez les scorbutiques, les pulmoniques, les galleux, les dartreux, les bilieux, les hipocondriaques, les femmes enceintes, ou reglées avec excès. Et chez tous ceux, qui ont le sang fort âcre, de quelque espece, que soit l'acrimonie. On a remarqué, que le temperament de chaque individu, un sang épais & serré &c. n'ont pas moins de part, que la Contagion même à la production des differens symptomes, qu'on observe dans la petite vérole, qui devient par là plus ou moins dangereuse, discrete ou confluente, maligne, pourprée, gangreneuse ou sanguinolente.*

re ſolvit de HÆNIUS; novit ſcilicet egregius ille vir, variolas eſſe morbum inflammatorium, cujus ea eſt natura, ut critica depoſitione ad cutim terminari ſoleat; novit præterea totum morbi decurſum eo minus eſſe periculoſum, quo ſtadium contagionis minus fuerit tumultuoſum & eruptio facilior; hinc ſequentem poſuit regulam ... remedia conveniunt antiphlogiſtica, alvum leniter ſubducentia, nitroſa, enemata ſimilia, tum pediluvia, ſemicupia, aër humidus & temperatus, ut totus homo, quoad ejus fieri poteſt, laxetur & emolliatur; utque undique ablata reſiſtentia eruptio materiæ varioloſæ fiat ad cutim commodiſſima: pro ratione febris venæ ſectiones repetuntur. (n) Novit ergo egregius ille vir, quænam corpora ad variolas perferendas ſint aptiſſima; novit quomodo pravæ conditiones ſemoveri, aptæ & idoneæ acquiri queant. Id quod ſubito & plerumque ſero nimis intendit de HÆNIUS, hoc prudens inoculator eo certius, eo ſecurius præſtat, quo lentius ipſi agere licet.

§. VIII.

Rem altius ſed & ſimplicius rimemur. Rei medicæ peritus variolarum inſertor corpus inoculandum rite examinat: ſi illud valde debile, irritabile, fibris nimium laxis inſtructum deprehendit; chalybeatis, cortice chinæ, frictione, exercitatione nimiam minuit irritabilitatem, debitum fibris robur conciliat, antequam virus illi inſinuat: ſi videt alium ſtrictiori ſolidorum compage præditum, cujus denſa nimis & rigida cutis erumpentibus variolis nimium reſiſtere queat; hunc diæta relaxante, balneis tepidis, vapore calidæ emollit: ſi pulſum plenum, fortem reperit; venæ ſectione, quod nimium ſanguinis eſt, detrahit, vires vitæ nimias infringit; ſanguini ſpiſſiori diluentibus ſaponaceis debitam fluiditatem conci-

 liat;

(n) de Hænii methodus medendi: de variolis.

liat: si quas in primis viis stabulare sordes cognoverit; iteratis, si necesse est, purgantibus eas eliminat; vermes, datis appropriatis medicamentis necat, expellit: capitis dolori, narium hæmorrhagiæ expositum quemdam noverit; tunc pediluviis, clysmatibus &c. ad inferiora humorum motum determinat: violentis exercitiis exhausti homines quieti indulgeant & debita diæta amissas recuperent vires; qui prægresso gravi morbo, sive evacuatione quadam nimia debilitati languent; & motu corporis & appropriatis alimentis sensim sensimque auctis roborentur, antequam ad inoculationem admittantur: quorum sanguini copiosus aromatum & coffe usus acrimoniam affricuit; tam diu diluentibus, demulcentibus utantur, donec id acre sive expulsum, sive ita dilutum aut involutum est, ut nocere amplius nequeat: qualicunque demum acrimonia cujusdam sanguis affectus est, corrigatur; qualicunque quis morbo laborat, curetur, antequam inoculetur: si vero morbus est incurabilis; suæ sorti relinquatur æger; nihil ipsi dat, nihil aufert nostra methodus. Nunquam gravidis, nunquam puerperis, nunquam instantibus mensibus virus inseratur; sed aliquot post partum septimanas, sed uno aut altero die post effluxos menses: quia pueros & fœminas, quibus humores diluti, blandi, fibræ laxæ sunt & molles, per naturam variolis facile perferendis paratos esse novimus; hinc patet, alios eo diuturniori indigere præparatione, quo solida eorum & fluida a puerorum & fœminarum solidis ac fluidis magis differunt; quia novimus benignius cum illis agere variolas, qui in libero aëre vitam degunt, quorum mensis præsidet temperantia. hinc antequam quis virus suscipiat, prius in aëre puro ac libero ambulet, cibis moderate utatur, iisque utatur cibis, qui digestu sunt valde faciles, qui nullam sanguini nocivam acrimoniam affricare, sed eum potius leni sua acescentia ab illa, in quam continuo vergit, putredine defendere valent. Quia infantes præ adultis variolas facilius ferunt; hinc ab anno ætatis quinto ad duodecimum, vel decimum tertium usque inoculatio præcipue celebretur; sic præcavebitur, ne erumpentibus variolis dentes simul erumpant, & infantes

fantes abripiantur convulſione, cui tenella hæc ætas adeo ſolet eſſe expoſita; in hac quoque ætate nullus a menſtruo fluxu metus; ſanguis vitioſo vitæ regimine nondum eſt depravatus; animus inſuper ab omni periculo ſolet eſſe remotus, quod tanti in omni morbo faciendum. Ex dictis fluit; primo nullam dari in præparando corpore regulam generalem; ſecundo variolarum inſertorem eo fore feliciorem, quo œconomiam humanam penitius fuerit ſcrutatus; quo in cognoſcendis aliis Morbis fuerit magis peritus; tertio denique fluit problematis propoſiti ſolutio; notum enim eſt, qualis & ſolidorum & fluidorum conſtitutio variolis feliciter perferendis ſit magis apta; & probatum eſt, quod, ſolis incurabili morbo laborantibus exceptis, omnes reliqui, qui a dicta conſtitutione recedunt, eam debita præparatione acquirere, vel ſaltem, quod ſatis eſt, ad eam accedere, queant. Quis ergo non videt, quantum ab hac methodo bonum in genus humanum redundet?

§. IX.

Tantis in nos beneficiis nondum terminatur inoculationis liberalitas; alia & horrida magis avertit mala; alium & quidem peſſimum malignitatis fontem alienat. Quis ignorat, quantam in malignis variolis producendis vim habeat aëris conſtitutio? ut enim taceam crudeles illas epidemias, quas certis anni tempeſtatibus obſervarunt auctores; ut alto ſilentio premam anomalas illas variolas, quas egregius SYDENHAM (o) adeo graphice deſcripſit, ut & illum, cui robur & æs triplex circa pectus eſſet, horrore percuterent: nonne aër frigidus & ſiccus fibras rigidiores reddendo, ſanguinis ſpiſſitudinem augendo, tranſpirationem ſupprimendo, inflammationem reddit fortiorem, eruptionem dif-

 ficilio-

(o) Variolæ anomalæ annorum 1670, 71, 72.

ficiliorem, regreſſum variolarum faciliorem ? nonne aër humidus & calidus tonum partium dejiciendo, omnia ad putredinem diſponendo, peſſimas reddit variolas ? nebuloſus ille & frigidus aër tranſpirationem ſupprimendo, propriam forte acrimoniam humoribus inſinuando, nonne veneno varioloſo ſuppetias fert, quo gravius nos aggrediatur, catarrhum certe & coryzam producendo efficit, ut pulmones, fauces, os & nares crudelius a variolis afficiantur: in tali præſertim aëris conſtitutione crudas illas, cryſtallinas & indigeſtas variolas obſervavit HUXHAM. (p) Idem angliæ HYPPOCRATES, (q) poſt diuturnos & intenſioris ſyrii ardores, poſt rigidum nimis & ſiccum & diutius protractum frigus vidit nigras, confluentes, pauca vel nulla ſalivatione ſtipatas variolas. Quantum ergo a genere humano merebitur ille vir, qui ſub ea præſertim anni tempeſtate, ſub illa aëris temperie variolas excitare noverit, ubi nihil maligni ab aëre timendum ? id, benevole lector, id præſtat prudens variolarum inſertor; ſi enim nullus regnat morbus epidemicus, qui variolis junctus eas reddere poſſit periculoſiores; ſi aër eſt temperatus, qualis vere & autumno eſſe ſolet, quid, quæſo, tunc maligni variolis conciliare potis eſt?

§. X.

Sed licet nihil maligni, nec in ipſo veneno, nec in aëre delitescat, licet corpus eo momento, quo virus ſuſcipit, egregie ſit diſpoſitum, eo tamen tempore, quo virus in corpore latet, varia committi poſſunt, quæ peſſimis variolis anſam præbeant; licet enim id venenum ſanguini commixtum non penitus quieſcat; ſed ſenſim ſenſimque vires ſuas exerat; quinque tamen, ſex vel

(p) Vid. *Eſſay ſur les differentes eſpeces de fievres par Jean Huxham & traduit de l'Anglois par Meſſieurs Eidous & Lancry.*
(q) *Ibidem.*

vel ſeptem ad minimum dies hoſtem in ſinu fovemus inſcii; hinc nemo non videt, quam crudelia in ſe arma ipſi præbeat, qui violentis exercitiis corpus fatigat; qui liquoribus ardentibus indulget, qui cibis digeſtu difficilibus, copioſis, acribus corpus replet; qui variis exagitatur animi pathematibus; qui in venerem pronus ejus caſtra aſſidue frequentat &c. omnia hæc egregie removet, qui inoculationem admittit; novit momentum, quo virus ſuum ſanguinem ſubit; novit diem, quo febris exſurgere, exanthema apparere ſolet; hinc omnia, quæ nocere valent, niſi ſuus ipſe hoſtis eſt, diligenter evitat.

§. XI.

Adde denique, quod non nihil commodi ex ipſo veneni inſinuandi modo fluat; ut enim cætera taceam, hæc videtur hujus veneni natura, ut illum præcipue locum afficiat, per quem ſanguinem ſubit; hinc in variolis naturalibus non nunquam, ubi res omnis in vado creditur, ſubitanea morte necat; inſpiratum enim teneram pulmonis texturam, deglutitum ſenſibilem adeo ventriculi & inteſtinorum fabricam nonnunquam lædit: in artificialibus vero ad partem carnoſam, minus ſenſibilem, vitæ non neceſſariam, oculis medentis expoſitam transfertur mali fomes: facta prius perlevi inciſura, ſive ablata parvo veſicatorio epidermide, virus applicatur; brevi poſtea is locus inflammatur, puſtulis nonnullis cingitur, in ulcus abit, quod ingentem virus quantitatem effundit; hinc quod per reliquum corpus in puſtulas abire debuiſſet virus, magna ex parte per id ulcus effluit; hinc faciei venuſtas, ſenſuum integritas conſervantur; hinc in artificialibus, tam rara avis eſt, quæ in naturalibus ob nimiam puſtularum quantitatem tam frequenter occurrit periculoſa nimis febris ſuppuratoria. Diu apertum manet id ulcus, ut, quidquid nocivi ſanguini fuit affrictum, effundat; hinc vix unquam obſervantur illæ variolarum reliquiæ, quæ tam frequenter variolis naturalibus perfunctos affligunt, lenta morte trahunt.

§. XII.

En inventum illud impium, en methodum cane pejus & angue fugiendam. Variolæ naturales cæco quasi impetu in homines ruunt; artificiales prudenti manu applicantur: illæ latronum adinstar minime paratos feriunt; hæ non nisi dispositos & undecunque bene armatos aggrediuntur. Egregie quidem jubet celeberrimus de HÆNIUS, (r) ut in primo morbi stadio remedia adhibeantur antiphlogistica, ut totus homo, quoad ejus fieri possit, laxetur, & emolliatur &c ut pro febris intensitate vena secetur: sed quæso ab egregio illo viro, num medicus ab ipso febris variolosæ initio semper accersatur? num id per varias circumstantias semper liceat? num, etiamsi vocatus, variolas orituras semper perspiciat? fateamur, quæ res est, medicus tunc plerumque solet vocari, quando eruptio jam apparet; id est, quando in supprimendo veneni furore ipsi nulla fere potestas superest: sed esto, statim ab initio febris variolosæ præsens adstet medicus; esto in cognoscendis & curandis morbis alter sit æsculapius; nisi simul jovis potestate gaudeat, ipsi profecto aqua nonnunquam hærebit: haud enim sufficit, ut variolas rite noverit curare; sed requireretur insuper, ut divina potentia præditus, huic gravidæ dicere posset, utero nunc gerere desinas; huic puellæ, nolim te hoc tempore menstruum experiri fluxum; quicumque nunc grassamini morbi epidemici has ædes, hanc urbem relinquite; absit ad hoc homine virus venereum, absit virus scorbuticum &c. dicto citius absint, quæcumque alias tam diuturnum medicamentorum usum requirunt acrimoniæ; qui prægresso gravi morbo, qui laboribus nimiis, qui largiori quadam evacuatione languetis, velim subito ad virus coquendum, expellendum satis sitis roborati; nec sol alios, nisi temperati caloris, radios in hoc clima diffundat &c. &c.

§. XIII.

(r) Ratio medendi: de variolis.

§. XIII.

Dixi lethalium variolarum fontes, probavi, quod & quomodo eos avertere poſſit prudens variolarum inſertor; id tribus ſucceſſive annis egregiis exemplis evicit clariſſ. GOETZ caſtelli argentoratenſis Chirurgus primarius, juratus in urbe chirurgus; omnes illi ſex infantes, quos ipſe inoculavit, & quos ego conſtanter inviſi, quorumque hiſtoríam in ſecunda parte exhibebo; omnes, inquam, quam maxime benignas habuere variolas.

§. XIV.

Mirabimini forte, methodum adeo evidenter generi humano ſalutarem tantopere inter nos negligi & vilipendi; ego vero minime miror; ita ſumus comparati, ut optima quæque non niſi inviti tandem, & ſumma neceſſitate coacti probemus, eaque non niſi tremula manu hinc inde adhibeamus; quilibet anguem ſub herba latere clamitat. Ut enim mercurium, ut alia non nulla taceam egregia medicamenta; tantus olim rumor contra antimonium, ejusque præparata undique exortus eſt, ut publico edicto ejus uſus fuerit prohibitus: cortex chinæ, qui ſatis ſuperque laudari non poteſt, hic eximius cortex quot & quantos expertus eſt hoſtes? maximum germaniæ lumen, tota denique germanorum medicorum cohors egregium hoc medicamentum per fas & nefas diffamare conati ſunt; preſſi tandem argumentorum pondere, totius fere Europæ experientia coacti febrem inde ſiſti non negarunt; ſed neſcio, quos morbos inde oriri finxerunt; quidquod præjudiciis excœcati, odio contra corticem inveterato excicati, febrem tanquam naturæ conamen, febrem homini maxime eſſe ſalutarem plenis buccis clamare ceperunt: quamvis hæc dicta febris plures morti tradiderit, quam unquam ignis & enſis. Idem, plane idem hodie circa inoculationem obſervamus: omnes mundi partes, integræ in Europa regiones in ejus laudes erumpunt; ejus

ſalubri-

ſalubritatis fructus colligunt : exſurgunt contra inoculationem magni Pariſiis viri (s). Sed ſtrenuos quoque ibidem patronos habet. (t) Ipſa ſui optimus eſt defenſor (u) Exiurgit contra inoculationem alter in germania STAHLIUS, vir cujus nomen ad remotiſſimam poſteritatem jure merito transfertur ; vir cujus in medicis opera medicorum admirationem alias commovent ; vir denique circa falſam, quam de inoculatione fovet, opinionem eo magis nobis timendus, quod magna inter nos auctoritate polleat. Hinc ultima D. de L'EPINE contra noſtram methodum ſcripta ſupplementum dicta illi examinanda relinquo, qui priora dicti viri ſcripta tam maſcule refutavit ; & de HÆNII contra inoculationem opera aggredi conatus ſum ; nec ea refutare ardui laboris eſt ; non nulla enim apud egregium hunc virum contradictoria, ubique multum ingenii, nullibi quidquam firmis principiis innixum reperi. Errat profecto circa inoculationem de HÆNIUS : ſed quis unquam ſine ullo vixit errore ? quis tanto viro unius erroris gratiam non lubentiſſime faciet ; ipſe etiam Homerus quandoque ſomniaſſe dicitur. Prelo jam ſubjectum eſt opuſculum aliquod

---

(s) Vid. *Rapport des ſix des douze commiſſaires nommés par la faculté de medecine de Paris &c. lû par Mr. Guillaume Joſeph de l'epine &c. les* 29. *Août*, 20, 22, & 24. *Octobre* 1764. Vid. *Supplement au rapport des ſix commiſſaires de la faculté de medecine à Paris contre l'inoculation de la petite vérole l'an* 1767.

(t) Vid. *Premier rapport en faveur de l'inoculation lu dans l'aſſemblée de la faculté de Medecine de Paris, en l'année* 1764. *par Mr. Petit.*
Vid. *Second rapport en faveur de l'inoculation lu dans l'aſſemblée &c. au commencement de l'année* 1766. *par Mr Petit.*
Vid. *Les Mémoires de Mr. de la Condamine lûs à l'aſſemblée publique, le premier l'année* 1754. *le ſecond l'année* 1758.

(u) Vid. *Gazettes ſalutaires du Jeudi* 2. *Juin* 1768. & *Jeudi* 16. *Juin* 1768. *l'inoculation de Mgr. le Duc de Bourbon & de la Princeſſe ſa ſœur, qui a été des plus heureuſes, a donné une nouvelle activité à cette operation & a déterminé quantité de peres de famille à faire inoculer leurs enfans.*

quod gallico idiomate conſcriptum, ubi ultimum de HÆNII opus, in quod, quidquid potuit, contra inoculationem congeſſit, refutatur; hinc ſecundæ meæ theſeos parti ſuperſedeo: verbis interim exhibere paratus, quod ſcriptis non licuit; & brevi circa inoculationem Argentinæ celebratam hiſtoria meum penſum abſolvam.

§. XV.

Quam illuſtri cuidam fœminæ anglia, (x) quam tenero matris in ſuum filium amori helvetia, (y) hanc nobili matronæ inoculationem debet Alſatia; hæc, ſi unquam exſtitit, fortis mulier non cæco, uti ſolent, ſed prudenti in ſuos amore excitata, quidquid potuit, circa inoculationem legit; veritatis luce, factis indubitatis victa noluit ſuos ea privari, quæ innumeris aliis, adeo proficua eſt, prophylaxi; hinc mentem ſuo chirurgo D. GOETZ aperuit; hic utilem ſeſe reddere nunquam non paratus, iter pariſios inſtituit; ibique maximos hujus artis viros adiit, eorumque per plures menſes aſſiduus comes fuit ac diſcipulus; pariſiis redux dictæ illuſtris matronæ filium unicum, filiolamque pulcherrimam felici cum ſucceſſu inoculavit: (z) poſtero dein anno in filio unico celeberri-

 mi

(x) *Le premier ecrivain du ſiècle nous a depuis long tems apris, que lady Wortley montagu, ambaſſadrice d'angleterre à la porte Ottomane en* 1717, *femme celebre par ſon eſprit, eut le courage de faire inoculer ſon fils unique âgé de ſix ans, & depuis ſa fille à ſon retour en angleterre, ou cet exemple fut ſuivi par pluſieurs perſonnes de diſtinction.* Vid. *Mémoire de Mr. de la Condamine lu à l'aſſemblée publique l'an* 1754. Vid. *Lettre de Mr. de la Coſte ſur l'inoculation & ecrite en* 1723. *à Mr. Dodart Conſeiller d'état & premier medecin de S. M. T. C*

(y) *Une Dame de Lauſane a inoculé elle même dans l'automne de* 1753. *un fils, qui ne prenoit point la petite verole de deux ſœurs, qui l'avoient trés heureuſe.* Vid. *pag.* 8. *de l'inoculation juſtifiée par Mr. Tiſſot.*

(z) Autumno anni 1766. inoculationem ſubierunt duo nobiles infantes Illuſtriſſimi Delord de Saint Victor ordinis militaris Sti Ludovici Commendatoris, caſtrorum exercituumque præfecti, nec non in civitate Argentoratenſi Regis locum tenentis,

mi hujus provinciæ medici & inſpectoris D. RENAUDIN, ac in cujusdam privati filiola hanc ſuam operationem pari cum ſucceſſu inſtituit. Hocce vere noſtram methodum celebrem reddidere duo tam ſtirpe, quam ingenio nobiles juvenes: (a) quis jam ſibi honori non ducet, tam illuſtres, tam prudentes imitari parentes?

§. XVI.

Harum ſex inoculationum hiſtoriam exhibere, eo facilius mihi erit, quod hos infantes frequenter inviſerim; quid ipſis acciderit, diligenter annotaverim. Nullus ex dictis infantibus periculi umbram expertus eſt; ſymptomata variolis propria erant mitiſſima; per tres ad plurimum dies febre laborarunt; ſecundo ab eruptione die febris cum omnibus ſymptomatibus conſtanter evanuit; plerique incirca quinquaginta puſtulis erant notati; unus circiter centum & triginta in ſuo corpore habuit: quarto, ab incepta febri, die ipſis e lecto exſurgere conceſſum fuit; ne ullum quidem febris ſuppuratoriæ adeo in variolis naturalibus periculoſæ apud noſtros infantes apparuit veſtigium; per ſex circiter ſeptimanas ulcus apertum manſit. Unus & alter narium hæmorrhagiam qua antea tam frequenter laborarunt, experti ſunt; in duobus circa locum, ubi virus fuit applicatum, apparuit eryſipelas, quod eruptione facta ſine ullo applicato remedio illico diſparuit Princeps duos ab ulcere pollices furunculum habuit, qui clauſo nondum ulcere ſuppuratus, ruptus & penitus ſanatus fuit; nullus non æque bona, imo quidam ex illis lætiori ſanitate ac antea gaudent. Et alius quidam hacce in urbe inoculatus fuiſſe dicitur, quem adhucdum vitam vivere novi, prætereaque nihil. En in genere inoculationum argentinæ celebratarum hiſtoriam; ſolius Principis ſpecialem exhibeo, ex hac ſola cognoſcite reliquas.

§ XVII.

(a) Prioris parens eſt illuſtriſſimus Baro de Zuchmantel regii ordinis militaris Sti Ludovici Commendator, caſtrorum Regis Chriſtianiſſimi præfectus, ejusque ad Saxoniæ curiam legatum agens

Poſterior Sereniſſimi Principis Landgravii ab Heſſen-Rheinsfels filius eſt.

§. XVII.

Hic juvenis valde tener, irritabilitate quoque ſolito majori mihi viſus, ut ex ejus pulſu celeriori annotavi; frequenti narium hæmorrhagia laboravit, ſi ejus educatori fides. Huic ergo Principi præmiſſa debita præparatione parvum veſicatorium utrique cruri fuit applicatum, altero die in ablati veſicatorii locum filum virus varioloſo imbutum fuit appoſitum, quod elapſis circiter quadraginta horis pariter fuit ablatum & tenue emplaſtrum in locum epidermide privatum applicavit chirurgus.

Quarto ab applicato veſicatorio die, nihil adhuc ſenſit Princeps, exiguas circa vulnera puſtulas obſervavi.

Quinto die omnia bene ſe habent, octo circiter puſtulas ad vulnus cruris dextri, tres aut quatuor ad cruris ſiniſtri vulnus diſtinguere potui.

Sexto die minus quam antea hument vulnera, puſtulæ circa vulnera magis elevatæ albeſcunt.

Septimo die pulſus paululum celerior eſt, dictæ puſtulæ penitus albidæ ſunt: albus circa vulnera apparet circulus, circa circulum rubedo: inſtare variolas concluſi; hinc verſus noctem redux quæſivi quomodo ſeſe per diem habuerit; prandens, repoſuit Princeps, valde debilis fui, caput gravatum, dolorem in inguine ſenſi, inde coactus lectulum petii; vultum ejus rubore perfuſum, pulſum febrilem reperi.

Octavo die, mane pulſus minus eſt celer; haud quidem dolet, nec tamen bene ſe habet Princeps, verſus noctem, ut præcedente veſpera, febre laboravit.

Nono die parva laborat febri; una in ulna, altera ad commiſſuram labiorum apparet puſtula;

Decimo die adhuc paululum febrilis eſt pulſus ; ſatis præterea tranquillus eſt Princeps ; duodecim circiter puſtulas in facie numeravi ; urinam valde turbidam reperi.

Undecimo die vix quidquam in pulſu febrilis detexi ; læto animo eſt ; puſtularum numerus magis auctus ; urina adhuc turbida.

Duodecimo die vultus jam pauliſper intumeſcere videtur, nondum magna vulnerum ſuppuratio. Viginti quinque puſtulas in facie numeravi : pulſus minime febrilis eſt.

Decimo tertio, nihil in pulſu febrilis, jam incipiunt albeſcere puſtulæ ; egregie ſeſe habet.

Decimo quarto multum ſuppurant ulcera, decimo quinto adhuc magis ; nulla febris.

Decimo ſexto continuant ſuppurare ulcera : exſiccantur puſtulæ ;

Decimo ſeptimo exſiccatis plane puſtulis adhuc ſat copioſe ſuppurat dextrum ulcus ; tunc ſenſim ſenſimque minus ſuppurare ulcera, ſanari, tandem claudi ceperunt. Tunc relicta hac urbe patriam petiit Princeps & ex litteris ab ejus Mentore ad D. GOETZ miſſis, lætiori eum ſanitate ac ante operationem frui patet.

Solo ergo ſeptimo & octavo, ab applicato veſicatorio die ægrotavit ; Nono & decimo die aliquid quidem febrilis in pulſu habuit ſed præter debilitatem, laſſitudinem nihil expertus eſt Princeps ; nono & decimo die facta eſt eruptio, decimo ſeptimo puſtulæ jam penitus erant exſiccatæ. Tempore ſuppurationis unam aut alteram narium hæmorrhagiam expertus eſt, & jam dixi, quod haud magni momenti furunculum habuerit.

